

COGITATIONES QUÆDAM  
DE  
ENCEPHALITIDIS DIAGNOSI.

---

QUAS

VENIA EXPER. ORD. MEDICOR. ABOËNS.

PRÆSIDE

DOCT. *GABRIELE ERICO  
HAARTMAN,*

MED. PRACT. PROF. REG. ET ORD. REG. ACAD. SCIENT. ET SOCIETT.  
PATR. HOLM, NEC NON OECON. FENN. MEMBR.

PRO GRADU DOCTORIS

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

*ANDREAS BOXSTRÔM,*

MED. LICENT. REG. SOCIET. OECON. FENN. MEMBR.

In Auditorio Majori die IV Junii MDCCCII.

Horis a. & p. m. consuetis.

---

*ABO Æ,*

In Officina FRENCKELLIANA,

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY DEPARTMENT

PHILOSOPHY DEPARTMENT

PHILOSOPHY DEPARTMENT

PHILOSOPHY DEPARTMENT

PHILOSOPHY DEPARTMENT

PHILOSOPHY DEPARTMENT

PHILOSOPHY DEPARTMENT

PHILOSOPHY DEPARTMENT

PHILOSOPHY DEPARTMENT





*Tribus de Causis (Cerebri Morbi) curatu difficiles sunt, quia princeps pars, quia locus angustus, & ut dolor in angusto major est, ita egrotandi & dolendi causa conclusa est.*

BALLONIUS.

Scripta Medicorum tam veterum, quam recentiorum, paulo accuratius peruestigantem fugere non potest, notionem plerorumque de Affectione Cerebri inflammatoria vagam admodum esse inconstantemque, sive denominationem, sive symptomata ejus characteristica, consideraveris, indeque tam in Diagnosti, quam Therapia hujus morbi, haud exiguam necessario secutam esse confusionem. Specimen igitur edituri Academicum e re non fore judicavimus, præcipua proponere momenta, quibus vera ac indubia Affectionis hujus explicari poterit Diagnosti, non nostræ solum hac in re experientiæ qualicumque, sed & præstantissimorum Artis salutaris Doctorum observationibus confidentes.

Antequam vero ad descriptionem ejusdem progrediamur, primum omnino stabiliendum esse censemus, quænam aptissima sit illam denominandi formula, ne diversi morbi eadem comprehendantur appellatione, vel ejusdem generis Affectiones diversis distinguantur titulis.

Encephalitis nomine, Cerebri ejusque tunicarum inflammationem optime significari, consueta morbos denominandi methodus a), & Celeberrimorum quorundam Virorum b) auctoritas, merito jubent.

Qui vero Cephalitidem hunc morbum appellare maluerint c), nimis generale adhibuisse videntur denominandi vocabulum, quippe quo, non tantum partium Calvaria inclusarum, sed etiam totius reliqui Capitis Adfectiones inflammatoriae vi vocis essent intelligendae.

Cephalalgiam sanguineam huncce morbum non satis apte appellat Cel. *Kempf* d), siquidem haec dicendi formula, inflammatorios morbos vulgo non denotat. Minus quoque convenienter Sphacelismum, auctore *Hippocrate*, hunc morbum Nobiliss. a *Linné* Pater e), Phrenismum Cel. *Vogel* f), & Phrenesin Cel. *Lieutaud* g), nuncuparunt, utpote quibus vocabulis neque sedes, nec indoles morbi accurate explicatur, Sphacelismo siderationem Latinorum, Phrenismo autem vel Phrenesi mentis Affectionem, juxta consuetam terminologiam indicantibus.

Nul-

a) *van Swieten* Comm. T. II. p. 579.

b) *J. P. Frank* de curand. hom. morb. Epit. T. II. p. 42. *Storck's* Handb. zur Kennt. u. heil. inn. Krankh. I. Th. p. 121. *Ploucquet* Delin. Syst. Nos. T. I. p. 200.

c) *Burserii de Kanisfeld* Instit. Med. Pr. T. III. p. 143. *J. Haartman* Sciagraphia Morb. p. 36.

d) *Enchirid.* Med. p. 12.

e) *Cullen* Synops. Nos. p. 82.

f) *Cullen* l. c. p. 145.

g) *Synops. Pr. Med.* T. I. p. 169.



Nulla autem minus idonea, & ad turbandam justam hujus morbi Diagnostin magis quasi conformata nobis videtur denominatio, quam quæ apud per plurimos, eosque Celeberrimos Pathologiæ Specialis Scriptores *b)* occurrit Phrenitidis. Cum enim Græci vocabulo *ᾠψει* mentem sive intellectum, aut etjam septim transversum sive Diaphragma, cui mentem inest, antiqui ante *Platonem* credebant *i)*, indigent *k)*; voce Phrenitidis, furiosam mentis agitationem, sive effrenatam insaniam potius, quam Cerebri Inflammationem expressam fore, facile quisque judicet. Hujus autem inter diversissimos plane morbos confusionis, duo præsertim accusandæ videntur causæ, quarum unam in eo consistere suspicamur, quod Cerebrum Inflammatione tentatum, tanquam partem humani corporis sensibilissimam, iisdem perturbationibus, quæ post alios quoscunque stimules oriri solent, (sive in Convulsivis nervorum motibus, sive in alienatione sensuum consisterint) expositum judicaverint. Alteram vero in eo, quod per institutas post obitum Phreniticorum Anatomicas indagaciones, veræ Inflammationis sæpe observata fuerint vestigia,

Parum quoque profecere, qui hujus morbi bina assumserunt genera, quorum alterum, Phrenitidis nomine distinctum; meninges tantummodo infestare *l)*, alterum vero Cephalitidis *m)*, ipsum Cerebrum corripere credunt, *illud* ex delirio

A 2

con-

- 
- b)* Fr. Hoffmann Op. T. II. p. 131. Barhave Aphor. p. 279. van Swieten Comment. T. II. p. 579. R. A. Vogel de cognosc. & curand. Corp. hum. Affect. p. 41. Darwin Zoon. 2Th. 1 Abb. p. 352. cet.
- c)* Cfr. Fel. Plater L. I. p. 104. Sennerti Op. I. 283. Ettmüller Op. T. II. P. I. p. 586.
- d)* Hebenstreit Exeges. nom. Græcor. Lips. 1757. p. 517.
- e)* Sauvages Nos. Meth. T. I. p. 456. Sagar Syst. morb. Sympt. p. 620. van den Heuvel Tentam. Nosol. p. 447.
- f)* Sauvages l. c. p. 484. Sagar l. c. p. 645. van den Heuvel l. c.

continuo, furibundo, hoc autem ex delirio obscuro & Carphologia dignosci posse existimantes. Si enim hanc distinguendi rationem Anatomicis disquisitionibus superstruere ipsis placuisset, errorem suum facile, ut opinamur, animadvertissent.

Sciendum igitur est, multas omnino observari Cerebri Affectiones, indole quam maxime inter se discrepantes; neque tamen mirum cuiquam videbitur, obscuram valde esse earum Diagnosin, qui locum reconditum ubi exstant rite persequaverit. Etenim congestiones sanguineae in Encephalo, inflammationis aemulae, a causis oborire deprehenduntur, quae nullam movent inflammationem. In Cerebro scilicet ab apoplexia sic dicta sanguinea demortuorum, vasa sanguine turgida atque confertim repleta, observata sunt: idemque apud Maniacos ac Melancholicos aliquando deprehensum esse, Medicorum testantur observationes n). E contrario autem vehementia deliria, ipsasque Phrenitides existisse constat, nullis licet congestione sanguineae indicibus post mortem observatis o). Eadem quoque est Epilepsiae & Convulsionum ratio, quae, quamvis interdum evidentia sanguineae congestione habeant signa p), plerumque tamen, nimis incitatae Systematis nervosi actioni originem suam debent. Verum magnam etiam Meningum atque Cerebri Inflammationis genuinae disquisitiones Anatomicae detexerant differentiam, ita ut sive in illis q) sive in hac r), vel denique in singulis hisce partibus simul, reliquae inflam-

---

n) Farriar. Neue Bemerck. II. Th. p. 64.  
o) Bonneti Sepulcr. L. 1. S. 7. Obs. 13. 16. Wepfer de Apopl. p. 435. Morgagni de Sedibus morb. Ep. VII. 2. 3. 4. 6. 8.  
p) van Swieten l. c. T. II. p. 355. T. III. p. 409.  
q) Morgagni l. c. VII. 8.  
r) Dease in Richters, Chir. Bibl. IV. B. p. 595.

inflammatoriae sint repertae s). Quibus addere convenit, inflammationes Cerebri absque praegressio delirio, extispiciis anatomicis post mortem haud raro fuisse observatas z).

Hisce diligentius jamjam pensitatis, satis superque apparet, affectiones Cerebri, diversos omnino constituisse ordines. Aliae namque Cerebri Affectiones in vasorum Encephali nimia repletionem, qua scilicet fit, ut substantia Cerebri compressa functionibus suis perfungi nequeat, consistunt, atque soporosae, propter indolem symptomatum concomitantium, merito audiunt, quibus Apoplexiam sanguineam, Lethargum, variasque comatum species adnumerandas esse, facile patet. Aliae vero, quae ab aucta praeter modum reactione vel incitatione systematis praesertim arteriosi derivantur, sub inflammationis nomine veniunt u). Aliae quoque sunt, quae medullarem Cerebri substantiam irritando, vim nervorum motricem praeter modum excitant, convulsionum generatrices commode appellandae v). Aliae itidem existunt, quae, Sensorium praecipue agitando, sensus tam internos quam externos turbant, quaeque immensum ideo sistunt fontem delirii, insaniae ac furoris phrenitici, forma & gradu quam maxime discrepantium x). Aliaeque demum in vehementissima sensorii vel medullae Cerebri,

s) *van Swieten* l. c. T. II. p. 604.

t) *Bonneti* l. c. L. I. S. I. Obs. I. *Morgagni* l. c. VII. §. *Stoll* Rat. Med. T. II. p. 376. T. III. p. 206.

u) *Reil* Fieberlehre, II Th. p. 208.

v) *Tissot* Traité des nerfs, T. II. Chap. VIII. §. 61. *van Swieten* l. c. T. II. p. 340 sqq.

x) *Pulchre* sane *Cel. de Gorter* Med. Dogm. Infinita fere sunt, quae vel ingerendo corpori, mentem perturbant: haec non omnibus in hominibus eandem insaniam inferunt: & varia haec varias quoque mentis emotiones inducunt.



si ita loqui fas est, concussione vel incitatione nimia y), consistere videntur; eoque variae pertinent Asphyxiae ac Apoplexiae nervosae Species.

Hos vero ita jam distinctos morborum Cerebri ordines, etiam si a diversis plane oriuntur causis proximis, non tamen similia tantum interdum agnoscere symptomata, sed etiam causam ejusdem morbi occasionalem dissimiles saepe edere effectus, frequentes testantur Medicorum observationes. Sic e, g. Laesiones capitis externas, quae frequentissimam constituunt Encephalitidis causam z), varias interdum delirii species ipsasque Phrenitides aa), interdum convulsiones vel epilepticos motus, saepe quoque affectiones soporosas bb), nec non mortiferas Cerebri Commotiones, Apoplexiae nervosae remulas cc), procreasse compertum est. Ex quibus facile intelligitur, Encephalitidi delirium ac Phrenitidem sese nonnunquam adungere posse; undeque evenit, ut quavis hi morbi similibus afficiantur symptomatibus, diversam tamen, respectu causarum antecedentium, requirant curandi methodum, veluti res sese habet cum Phrenitide sic dicta symptomatica, quam a colluvie biliosa praecordia opprimente dd), vel a turbata Systematis nervosi actione, ut in febre nervosa acuta ee);  
vel

y) Novi Systematis fautores hunc statum apte, ut nobis videtur, appellant, überreizung,

z) Frank de curandis hom. morb. L. II, p. 43.

aa) Platner Instit. Chir. p. 334. Richters Chir. Bibl. XI, B, p. 603. Stoll l. c. p. 209. 212.

bb) Cfr. Schmucker, Pott, Richter, Bell, &c.

cc) Cfr. mox citatos Auctores.

dd) Stoll l. c. T. III. p. 175 sqq.

ee) Frank l. c. T. II. p. 44. Sprengel Handb. d. Pathol. 2 Th. p. 132. 274.



vel etiam ab alia quacunq; causa oriendam descripserunt rerum Medicarum observatores. Quæ omnia ostendunt hos morbos minime esse confundendos; quoniam scilicet Encephalitis Idiopathicum seu primarium, Phrenitis autem symptomaticum seu secundarium constituit morbum ff).

Cum autem externarum læsionum phænomena magis conspicua sint, facile apparet, eas optimam exhibere normam, ad quam internorum quoque vitiorum, illis congenerum, signa ac effectus tuto possint dijudicari. Sic e. g. Pleuritidis, a vulnere vel contusione Pectoris obortæ, eadem observantur symptomata, quæ hunc morbum ab interna causa productum comitari solent. Idem quoque, de morbis quorum hic præcipue mentionem facere constituimus, judicandum esse, utrum quis a partium studio alienus negare possit, dubitamus. Ad ductum itaque Cel. Selle gg), potiora hujus morbi symptomata ex analogia læsionum externarum explicanda enarrabimus, causis non omisiss, quarum cognitionem præ cæteris necessariam esse putamus. Antequam vero symptomatum Encephalitis recentionem incæmus, præmonnisse juvabit, binas ejus esse species, alteram Acutam, alteram Chronicam hh), quarum illa violentiores magisque præcipitatas, hæc autem lentas ac claudesinas potius edere solet strages. Illam quoque aut solam duram Meningem, aut utrasque simul, hanc vero proximam tantum Cerebri tunicam ipsamque ejus substantiam afficere observarunt Medici ii).

Incipit autem acuta, quam diximus Encephalitis (sive ab internis sive ab externis progenita fuerit causis), interdum  
mox

ff) Cfr. Frank de Cur. hom. morb. P. II. p. 43 sq.

gg) Med. Clin. Berol. 1797. p. 391.

hh) S. G. Vogel I. c. p. 2.

ii) Richter Chr. Bibl. IV. B. p. 595.

mox violento, interdum vero sensim incremente capitis dolore, verticem & occiput præcipue occupante, at inde tamen lancinantibus quasi punctioibus inas nonnunquam pertingente aures. Coniuncta simul est animi inquietudo adeo singularis, ut eadem vexati, corpus jactando, sicut nutare frustra aditantur, nullibi tranquillitatem reperientes. Accedit quoque statim ab initio febris modo leviore modo vehementiore horrore incipiens, quem calor nunc intensior, nunc remissior cum pulsu celeri, duro, tenso, interdum inæquali & quasi contracto, juxta ac respiratione suspiriis plerumque interrupta, comitari solet. Rubor autem & tumor faciei, oculique lucis impatientes & quasi inflammati, una cum carotidum & temporalium arteriarum vehementi pulsatione, copiosam sanguinis ad caput fieri congestionem, satis evincunt. Quibusdam superveniunt vomitus bilioli, vel saltem frustranei vomendi conatus, propter magnam, quæ inter Cerebrum ac Hepar est, Sympathiam *kk*). Unde etiam Glandulæ oris irritatæ, tam copiosum promovent salivæ affluxum, ut ægrotantes ad sputum edendum frequentius quàm par est cogantur. Ultimis morbi diebus torvi aliquid lugubreque in aspectu suo offendunt, ac leviores pati incipiunt tendinum tabfultus. Continuis vexantur vigiliis, quibus, imaginatio- nes ac idearum repræsentationes ita perturbantur, ut veram adesse Phrenitidem, tanquam Symptoma morbi, non quidem necessarium, sed accidentale, nemo non intèlligat. Aliis vero, iisque pluribus, qui per externas læsiones Encèphalitidem sibi attraxerunt, mox ab initio sensuum stupor accedit, adjuncto comate vigili, ita ut ad respondendum propositis quæstionibus frustra sollicitentur; dolorem suum capiti admotis manibus, manifeste de cetero significantes. Quamvis vero siccitate linguæ orisque aliquando laborent, nullum tamen adpetunt potum. Quibus fatalis contingit exitus, comatosi plerumque fiunt, vel ta-

cite

---

*kk*) Reil Fieberlehre, 2 Th. p. 245.

cite delirantes, donec sive Apoplexia percussi, sive nervorum motibus convulsi, diem obierint supremum. Quando vero, quod quidem post externas capiti illatas læsiones minime rarum est, suppuratione solvitur //) inflammatio Crebri, dolor Capitis una cum febrilibus sensim mitigatur symptomatibus, & vaga accedit horripilatio, quam nulla subsequuntur signa critica. Atque recte omnino Cel. *Pott*, ad certissima suppurationis signa spontaneam numerat Galeæ sic dictæ aponeuroticæ vel Pericranii a Cranio separationem, quam quidem post externas Capitis læsiones, haud raro fieri alii quoque observarunt Celebres Viri. Nisi vero enatum pus, aut naturæ aut artis auxilio evacuari potuerit, sive corrodendo novas parat inflammationes, sive comprimendo sensorii impedit functiones, donec lethales aut convulsiones aut apoplecticæ affectiones, finem malo imponant. Accidit quoque interdum, quod ab inflammata Cerebri superficie transudet humor quidam aut ferofus, aut lymphaticus, unde Hydropes Cerebri *mm*), aut aliæ etjam mortiferæ producuntur affectiones *nn*).

Decursus morbi varius omnino observatur, interdum vehementer, interdum mitior. In Calidis regionibus, teste ipso *Hippocrate oo*), quando imprimis ab æstu solis ortum duxerit, ad acutissimos referendus est morbos. In frigidioribus vero, licet acutus, ultra septimanam tamen perdurat. Ab externis injuriis illatam Encephalitidem multo diutius protrahi, testan-

B tur

ll) Utrum suppuratio certum sit prægressæ inflammationis signum, vehementer inter Medicos disputatum sint; Cel. *Hunteri* vero aliorumque auctoritate innixi, sine Inflammatione nullam esse puris generis possibilem putamus. *Reil* Fieberlehre 2 Th. p. 253.

mm) *S. G. Vogel* l. c. p. 14.

nn) Præter cit. Auct. Cfr. etjam *Camerarii* de Apospasmate Piæ matris in *Halleri* Disp. ad morb. Hist. & cur. pertina. T. I. p. 197 *Morgagni* de Sedib. & caus. morb. Ep. VII. 2.

oo) Aphor. 50. L. VII.



tant Cel. Pott, Schmuckeri, Richteri aliorumque observationes, quæ tamen hæc in re adeo sunt inconstantes, ut limites inter acutam & chronicam determinare opus sit difficillimum,

Quod denique ad causas attinet remotas, sollicite eas quoque esse explorandas, ut ea certior fiat morbi Diagnofis, ex iis quæ hætenus dicta sunt patet. Notandum igitur ætatem juniorem, habitum corporis robuftiorem, atque aëris inflammatoriam conftitutionem, præcipuas hujus morbi filtere causas præëgumenas. Morbo huic producendo cætera quoque favent, quæ fanguinem verfus caput determinant, vasorumque eretifmum adaugent, ut vigiliæ, lucubrations nocturnæ, vinolentia, pathemata animi vehementiora, nec non reliqui ejus generis Affectus. Occasionales vero hæc præcipuæ funt, violentiæ varii generis capiti externe illatæ, inlolatio, frigus vehemens capiti imprimis nudo immiflum, nec non varii generis morbolæ metallafes.

Ex hæc igitur qualitercunque tradita Encephalitis Hiftoria, fymptomatibus ejus attente obfervatis, & cum prægreffis caufis accurate comparatis, videre eft, eam a Phrenitide facili negotio poffe difcerni, quippe quarum hæc tanquam fenforii potius, quam cerebri Affectionem, confiderare oportet.

